8.) 11.

CONFUTATIO
Libelli famoſiſſimi,
qvem ſub titulô

EPISTOLÆ,

Ad amicum Varſoviæ degentem,
non ita pridem diſpergere,
eôq;
Sacr. Czareæ Majeſtatis
ad
Ordines Poloniæ Confœderatos Commonefactionem,
(Succeſſu licet ſiniſtro) infringere
auſus eſt,
infamis quidam Tenebrio,
adſcitô nomine
NOBILIS POLONI,
inſtituta
â
Baſilide Sincero.

Colon. Typ. Petri Durandri. Ann. M DCCIV.

11

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſime Domine,

Domine Gratioſiſſime.

REdit ad TE, Nobilis Poloni ad amicum Varſaviæ degentem, quâ literis Czareæ Majeſtatis ad Confœderatos Reipublicæ Polonicæ ordines reſpondetur, Epiſtola; quam pro inſigni & ſingulari humanitate Tuâ, quæ rerum novarum me non neſcium deſiderat, communicare mecum voluiſti. Aſt quam parum rubro correſpondet nigrum: quam manifeſta in omnibus ferè lineis, pœnè dixerim verbis, inſulſæ protervıæ, ruſticitatis inficetæ & furibundæ malitiæ occurrunt indicia, adeò ut nec minimum quod cum nobilioris ingenii aut mentis generoſæ motibus conveniat, agnoſcere poſſis veſtigium: Et veluti venatores cervum ex impreſſo dignoverint veſtigiô, ita ex iſtâ ſcriptiunculâ, illi, qui animorum impetus & characteres morum curioſâ diligentiâ poſſunt diſtinguere, Virum judicabunt; ſcilicet NOBILEM. Sanctum eſt MAJESTATIS nomen etiam inter gentes, quas ex cultiorum numero conſenſus excludit univerſalis. Quin ipſi, apud quos exigua

Digitized by Google

vitæ humanæ imitamenta aut reliquiæ conſpiciuntur anthropophagi, demiſsô ſupercilio Regum venerantur culmen ac faſtigium; Sôlus iſte ſub larvâ *Poloni Nobilis* fallens tenebrio, ſacrilegô calamô & verbis gyaris ac carcere, quin igne non indignis, contra fas gentium, contra ſanæ rationis dictamina, immò quod abominabile & horrendum contra omnia ab ipſo ſanctisſimo Numine in ſacris paginis toties repetita ſancita, Regum omniumq; Principum prærogativas ac inviolabilem auctoritatem conſpurcare & temerare more Bacchantium & inſanientium aggreſſus eſt. Equidem ſi cortices verborum ſolummodo attendas crediderit ſceleſtum hunc veteratorem, tantùm AUGUSTISSIMUM Poloniarum AUGUSTUM & MOSCOVITARUM αὐτοκράτορα graviſſimis & atrocibus & per tôt elapſa ſecula exemplo carentibus injuriis inſectari conatum fuiſſe; Verum enim vero ſi acuratiori rem examinaveris trutinâ ad oculum pateſcet, tela ejus virulenta, omnes, quotquot ſunt Principes, petere, & quicquid adhuc à vulgi temeritate ac licentiâ ſanctum, intactum & illibatum fuerit, illum ſcilicet MAJESTATIS CHARACTEREM â divinitate ipsâ Principibus impreſſum, ſine quo nec Principatus, nec Princeps ullus ſubſiſtere poteſt, uno ictu convellere & evertere. POLONUM, auctor Epiſtolæ ſe eſſe jactat, quô ipſo plenis confitetur buccis AUGUSTISSIMI AUGUSTI ſe eſsè ſubditum. Sed nec lynceus oculus vel exiguam ſive reverentiæ ſive fidei, ſive obſequii, in quibus tamen omnis gloria conſiſtit ſubditi, obſervare poterit in iſthâc Epiſtolâ, umbram. Siquidem ſchemata adulationis, aut obſequia Capitonis, quibus hodiè quam plurimi, regnantibus ſeſe commendare annituntur, nequaquã exigimus, immo deteſtamur. Æternâ lege, non humanâ Reges & Principes dominantur, aut ut optimè, Anſelm9, omnibus

Digitized by Google

bus notum ſit, nullum, Principũ nullamq; poteſtatum & virtutum ſive cœleſtium ſive terreſtrium per ſe habuiſſe aliquid Principatus vel Poteſtatis aut virtutis, ſed ab illo, â quo ſunt omnia, non ſolum ut ſint, ſed etiam ut ordinata ſint. Quin ipſe edoctus in cœlis Paulus, hoc explicatiùs, licet brevioribus verbis, inſinuare omnibus cupit, dicens: Quæcunq; Poteſtates adſunt, illæ ſunt a Deo ordinatæ; Ac ut omnis tollatur cavillandi anſa, addit: Qui poteſtati reſiſtit, Deo reſiſtit. Quâ itaq; conſcientia ſacris legibus turbatis, aut ſi forſan, inter atheos, corrupti more ſeculi, locum ſibi vindicare ſatagat, auctor, qua quæſo fronte? ſcitis Gentium infirmatis, licentioſo ſuo genio, & execrandæ veſaniæ, adeò velificari aut indulgere potuit, ut tam infamem (in quá quot commata, tot abſurda ſcommata) conflaret epiſtolam, & generoſæ Polonorum Nobilitati tam gravem maculam, quæ nullo tempore eluenda, inureret.

Sed accedamus paulo proprius ad ipſam Epiſtolam, tot turgentibus & phaleratis verbis conſarcinatam: ubi obſervantiæ & devotioni erga legitimum Polonorum Regem AUGUSTISSIMUM, omnium (uti ſpero) cordatiorum ſuffragio ſatisfactum fuerit, ſi tantum ad marginem quæ correptionem & obelum merentur præ reliquis notare, & quæ veſano errore & inſulsâ ſiniſteritate ſunt uberius effuſa retundere allaborabimus.

§. 1. P*erlegi &c. majorine cum ſtupore ac indignatione &c. &c.*

1.) Certè qui à virtute, à decoro, a ſupremi Numinis rerum omnium moderatoris ac arbitri timore, non prorſus abalienatum alit ingenium, perverſi hujus nobilis literas, aut ut convenientius loquar, calumnias *ſine ſtupore aut ſine indignatione* vix poterit intueri.

Digitized by Google

Siquidem ubiq; perfrictæ frontis & judicii corrupti tam nefaria, tam deteſtanda, tam luculenta deprehenduntur argumenta, ut omnem bonam mentem modeſtiam, candorem & ipſius religionis indiſſolubilem nexum ejuraſſe videatur, NOBILIS noſter.

§. 2. *Ego profecto Noſtratium alicujus fœtum. &c.*

2.) Sic conſcientiâ victrice vel præter opinionem largiri cogitur, reſtare in Poloniâ ſaniorem partem & maximum illuſtrium numerum, qui præſtiti memores ſacramenti ab impiis ſceleratæ factionis Radicjovianæ moliminibus abhorreant, non ignari, multa ſpeciosè ab illa in publicum dici, quæ penitius intro ſpecta ex aliis cauſis orta, in alios fines quam qui præferuntur, valere.

Et hi, ingenui & Patriæ ſalutem enixius, cum immarceſcibili & ad ſeros poſteros duratura gloria, quærentes proceres & Cives, univerſi & ſinguli ſunt teſtes, omni exceptione majores, verſari hunc temerarium epiſtolæ, æternâ oblivione obruendæ, compilatorem, in via prohibita, cyclopica, Deo ſanctisſimo exoſa & rigidæ legum cenſuræ ac animadverſioni obnoxia.

§. 3. *Quam Boeotico Moſcorum acumini.*

3.) Egregiè ſane ſolers Epiſtolographus rem ſuam agit cui omne judicii acumen & robur in amœniori politæ latinitatis notitia conſiſtit, quam tamen ſæpius Poloni nonnulli, barbarorum mixturâ verborum contaminant.

§. 4. *Adeo omnia arrogantia.*

4.) Prudentiſſimum ingenioſi Barclaii monitum huc quadrat; Si natura neminem tam conditis finxit moribus in quo non aliquid deſideres velut ultimam artificis manum cujus ſupercilii eſſet, totas provincias publico fato velle eripere. Proin & vitia noſtra fideliter agnoſcamus & *virtutes*

in

in aliis nos delectent. Quin verum hîc evadit iſtud Varronis: Omnes videmur nobis eſſe belluli & feſtivi ſaperdæ, cum ſimus σαπροὶ ſive murcidi & putridi.

§. 5. *AUGUSTO SAXONE.*

5.) Hic ſtolidam bilis exuberantiam, & fervoris iracundi temeritatem prodit auctor. Quandoquidem Regi legitimo & juſto, venerationis ſymbolum â primis regni auſpiciis debitum denegat: Cum tamen noſſe poterat, ſi in Politicorum ſcholis non plane hoſpes foret, etiam Reges Regno ejectos, nequaquam amittere Majeſtatis axioma & titulum. Sed nihil in vulgaribus ingeniis (de quorum grege quoq; Auctor propudioſæ Epiſtolæ cenſendus) modicum. Quin, cur miremur bene ſentire & ſcribere ignorare eum, qui tantum male agere didicit. Sed Diis Curæ ſecuritas Principum eſt, & ultio eſt: aut ut Apollon. Presbyteri verbis utar:

- - Sunt maxima cordi
Regna Deo. - -

§. 6. *Illum ſocium avelli.*

6.) Hic ingenti turpitudine & vafritie etiam inter populares ſuos ingenuos exibilandâ debacchari orditur in confœderatas Moſcorum & Polonorum Majeſtates: Sed ſciat infrunitæ audaciæ homuncio, quod res in conſpectu totius mundi agatur, coram quo ſi quis probris & calumniis agere partesq; ſuas temulentis convitiis defendere velit oppidô ſuſpicionem faciat cauſæ jam deſperatæ.

§. 7. *Quare AUGUSTUM &c. buridari poſſe.*

7. Nulla hic divinatione opus eſt: quippe S. Czarea Majeſt. in Commonefactione ad Ordines Poloniæ, cui miſerculus Epiſtolographus oggannire non erubeſcit, verbis claris ac perſpicuis rationes quibus ad ſuſcipiendas AUGUSTISSIMI AUGUSTI partes ſe obſtrictam ſentit, univerſo patefecit

fecit

Digitized by Google

ſecit orbi. Commiſeratione itaque dignus naſutulus iſte, quod ſeditioſum ejus cerebrum adeò vitioſis humoribus corruptum ſit, ut pro myſteriis habeat ea, quæ omnibus manifeſta, aperta & notoria.

§.8. *Cujus officium ſit videre.*

8.) Inter neceſſarias prudentiæ politicæ partes & quibus uſus Majeſtatis rectus conſervetur, numeratur; Ne Reges, qui ſuam tueri majeſtatem volunt, in aliis eam lædere permittant, cum nociturum ſit exemplum; Præſertim ſi offendi ipſis fœdere conjuncti ſint, ad quos tutandos atque ab injuriis vindicandos pacto & fide publica obſtringuntur. Inde omnes ſobriè ſentientes, in eo concordes ſunt, non niſi cum flagitio potuiſſe connivere Quadratum, ut poſt ſocium regũ interfectum Armenia donum populi Romani ab interfectoribus obtineretur. Tantum igitur abeſt ut fœderatus alto torpeſcat ſomno, *ubi in extremo ſcelere omnium Principum cauſa agitur.* Sed communi ope retundenda ſunt rei peſſimæ & periculi pleniſſima inſtigamenta, aut uti apprimè Seneca in Oedip.

Ne ſancta quiſquam ſceptra violaret dolo
Regi tuenda eſt maximè Regum ſalus.

§.9. *Qui illius Reipublicæ Præfectus.*

9.) Sibi in mentem revocet auctor Theologorum dogmata, qui ex Epiſtol. Jud. v. 18. inter maxima Pſeudo Apoſtolorum ſcelera ponunt, Dominationem ſpernere & Majeſtates blaſphemare.

§.10. *Equidem Poloni, qui in libertate nati ſumus.*

10.) Tralatitium & Politicorum Ephebis notũ eſt, libertatem rebellionum eſſe prætextũ, & vix unquam extitiſſe imperiorum everſores, qui non gratioſum & efficaciſſimum in vulgus libertatis nomen uſurpaverunt. Imò in propatulo eſt, pleroſque

Digitized by Google

roſque boni publici jactatores ſub hac larva ſuos affectus, ſuamque cupidinem in aciem produxiſſe. Sic Gallici regni proceres nefandam, contra Regem ſuum, conſpirationem, *boni publici bellum* appellavere. Sic quoque Piſani eo tempore, quo Carolus VIII. Galliæ Rex totam Italiam pœnè ſubjugabat, Florentinorum regimen pertæſi *libertatem* magno animi impetu quærebant, utque ejus compotes fierent, Regis Galliæ patrocinium & protectionem implorabant. Quanquam hos conatus ſerio diſuaderet Cardinalis di S. Pietro in Vincola: Et deploranda eſt ſimplicitas, quæ dum ſpecioſo nomine capitur, in carceres nonnunquam ſponte irruit, vinculisque & catenis ita diſtringitur, ut priſtinam ſibi exoptet fortunam.

Jure meritoq; Polonis libertatem concedimus, non tamen cyclopicam illam, ubi ἀκούει οὐδὲν, οὐδεὶς οὐδενὸς, ſed ſubjectione temperatã, quæ nec legem eludit, necRegem excludit. Siquidem vera libertas in eo conſiſtit, ut vivas juxtà leges ex uſu Reipublicæ ſancitas, ſubditus tuo Magiſtratui. Quod ſi verò libertatis vocabulum id demum ſignificare quis contenderit, quando ad arbitrium ſuum unusquisque ſine lege vivit, & corruptæ rationis impulſu, tantum quia ſic placet, actiones ſuas inſtituit, illum in detrimentum & perniciem Reipublicæ natum omnes honeſti juſti & probi pronunciabunt. Quam in rem optimè Virgilius Malvezzi in Tarquin. Superb. p. 127. ſe la liberta ſignifica, poter fare quello che altri vuole leverà il luogo alla licenza, è ſarà peſſimô quel governo, che ſarà piu libero: ſe ſignificà poter far quello che conviene, non occorre ſepararla dal Principato, ſotto di cui non meno che nella Republica puo haver luogo il conveniente.

Quibus conſona ſunt iſta perſpicaciſſimi Plinii ad Trajan:

Juſtæ

Juſtæ legi ſanctæ & honeſtæ, ut & optimo Principi ſervire, regnare eſt. Illam ergo libertatem, quæ Regis non renuit, aut deſtruit imperium nunquam auferre cogitavit Polonis Auguſtiſſimus Rex, quod ſanctè toties ipſe proteſtatus eſt, Deumque veritatis fontem ſuæ innocentiæ teſtem invocavit. Dignus eſt locus qui hic legatur & relegatur, cum ad præſentem Poloniæ ſtatum valdè accommodatus, ſit, qui in Angliæ Regis Icone βασιλικῇ, quam latinitate donavit, Joannes Earles Caroli II. Sacellanus, occurrit.

Aliud jam porrò artificium quo mihi (*ſcilicet hic Radicjovii aſſeclæ*) Populi affectus ſuffurari, & ad ſe pellicere volunt, eſt libertatis oſtentatio & ſtrepitus cujus haud ſanè naturâ magis avidi homines, quam ferendo impares, ſi eo ſenſu vulgari accipiatur libertas, ut ſit id prorſus facere, quod cuique libuerit. Sin verò ea ſit libertas ſanctiſſima, velle homines, quod debent & quod ſic velint facere, prout Rationi, Legibus, Religioni conſentaneum, haud invideo ſubditis meis eam libertatem, qua nec ipſe ampliore frui poſtulo, nedum aliorum opprimere - - - Tempus melius erudiet ſubditos meos, illos optime libertatem conſervare, qui ſibi minimam licentiam, vel contrà leges vel extra illas indulgeant.

§. 11. *Quos injuſtos Dominos removiſſe.*

11.) Non ad id quid factum, ſed quid fieri ſecundum Leges & incorruptæ rationis normam debebat, provocandum erat. Sciat tamen Nobilis noſter, ignobilis & obſcuri ingenii, admirandam ſæpius eſſe, & cum horrore intuendam occulto, Dei optimi maximi Juſtitiam, Regum & Principum hoc eſt Vicariorum ſuorum injurias ſeveriſſimè vindicantem. Plenæ ſunt omnes hiſtoriæ talium Exemplorum: unicum, dum brevitatis ſtudio litamus, adduxiſſe ſufficiat.

ficiat. Gabriel Comes Mongomerius, etſi Henricum II. Galliæ Regem Equeſtri certamine *imprudens* lethali vulnere læſiſſet, poſt quindecim annos, revera nullo alio crimine nocens, ſecuri percuſſus eſt, teſte Thuano, quo inſigni exemplo omnes diſcant, ſolo caſu non conſilio tantum nocentes effici quicunque vel imprudentes perniciem attulerint Principibus. Plura huc facientia exhibet Albericus, de vi in Principem ſemper Injuſta, & Arniſæus de Auctoritate Principum inviolabili.

§. 12. Moſcicus hic Pythagoras.

12.) Quis Pythagoras ipſe & quæ ejus Philoſophia fuerit, uti manifeſtum eſt, penitius ignorat Nobilis noſter, alias adverſus ſolem mingere non adeò proclivis fuiſſet, in epiſtola ſua à præceptis Pythagoræ quàm maximè aliena, utpote, qui his verbis aurea ſua orditur carmina:

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς, νόμῳ ὡς διάκειται
Τίμα καὶ σέβου ὅρκον, ἔπειθ' ἥρωας ἀγαυοὺς
Τούς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας ἔννομα ῥέζων.

Sive:

Primum Deos immortales, ut lege ſancitum eſt, cole,
Et venerare jusjurandum, deinde Heroas inclytos.
Venerare etiam terreſtres Deos, ordinata lege ſacrificans.

§. 13. Majeſtatem à Deo eſſe agnoſcimus ſed hunc vel illum Principem immediatè &c.

Falſum eſt, Poteſtatis Politicæ titulum partim eſſe divinum partim humanum, illam ſcilicet universè & in actu ſignato conſideratam, eſſe quidem de Jure divino, & immediatè â Deo, in particulari autem, & actu exercito, prout e-

Digitized by Google

xercetur, ab hoc vel illo Principe eſſe de Jure Gentium & inſtituto hominum: Siquidem aſſertum hoc divinis literis contrarium eſt. Quæ ſententia ex omnibus ſcripturæ probari poteſt locis in quibus Principes dicuntur Filii Dei, *διάκονοι* & *λειτουργοὶ* Dei. Pſ. 82. 6. Rom. 13. 1. 4. 6. qui per Deum regnent Proverb. Salom. 18. 15. 16. quibus Deus imperium largiatur. Dan. 2. 21. 37. 44. Sap. 6. 4.

His accedit primitivæ Eccleſiæ auctoritas; Sciunt Imperatores (ait Tertull. apol. c. 20.) quis illis dederit imperium, ſciunt qua homines; quin & qua animam. Sentiunt eum Deum eſſe ſolum in cujus ſolius poteſtate ſunt, a quo ſecundi. Inter Eſſenorum placita Porphyrius memorat: *οὐ δίχα θεοῦ περιγίνεσθαί τινι τὸ ἄρχειν*: non obtingere *cuiquam* imperium ſine ſpeciali cura Dei. Et Irenæus optime: Cu„jus juſſu homines naſcuntur hujus juſſu & Reges conſti„tuuntur apti iis, qui illis temporibus ab ipſis regnantur. Quin eo usque concordi ſuffragio SS. Patrum progreditur ſententia ut etiam impios & iniquos Magiſtratus æque ac pios & bonos eſſe a Deo, aſſerere non hæreat ſic enim Div. Auguſt. lib. V. de Civitate loquitur: DEus regnum terrenum piis & impiis dat, ſicut ei placet, cui nihil injuſti placet etſi ex cauſis occultis nunquam tamen injuſtis: Et eodem capite ait idem. Qui imperium dedit Mario, ipſe & Cæſari, qui Auguſto ipſe & Neroni qui Veſpaſiano vel Patri vel filio ſuaviſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo, & ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino ipſe & Apoſtatæ Juliano. Sic Nebuchadnoſorem quamvis impium Regem attamen Miniſtrum ſuum appellat DEus apud Prophetam Jeremiam cap. 25. v. 9. & 27. n. 6. vid. Bodin. de Republ. c. V. p. 330. Et ipſe Chriſtus de Romano Præſide dicit, Poteſtatem ei deſuper datam eſſe, Johann. 19. vers. 11.

ſic

Digitized by Google

ſic Jeremias, impium - - Regem Zedekiam Dominum ſuum appellat, Jerem. 37. vers. 20. Vitia enim Perſonæ non tollunt officium illius, & qui Magiſtratum contemnit DEum ſpernit. 1. Sam. 8. v. 7. Alth. Politic. cap. 20. n. 11. Unde Scaliger.

Reverenter habe, quos ſuperi dant ſuperiores
Is ſpuit in ſe, qui ſpuit adverſus olympum.

Et quam infelici ſidere ac ſucceſſu tragico antiqvis temporibus Poloni depoſitionem Ducum & Regum tentare auſi ſint, ex annalibus gentis, omnibus notisſimum; ſolus Auctor noſter Nobilis vel ex affectata vel ex vera eaque prorſus craſſa ac vituperanda hoc ipſum ignorantia, neſcire omnibus perſuaſum vult.

Turpe & Patritio & Nobili eſt ignorare Jura & res geſtas illius Reipublicæ in qua vivit & rerum ac fortunarum ſuarum ſedem habet.

§. 14. Caput ſibi adſciſcere certis LL. unde ſequitur. &c.

Nemo inficias, uti opinior, ibit integrum eſſe gentibus illis, quibus facultas competit, liberis ſuffragiis ſummum caput ſibi conſtituendi & eligendi, ut mutua pacta & conventiones circa ordinem imperandi & parendi conſtituant: & juris jurandi nexu interpoſito ſe viciſſim adſtringant, ſcil. ut is cui ſummum rerum judicium & cuncta regendi onus commiſſum, in reipublicæ adminiſtratione intra fines legum fundamentalium ſeſe contineat; quibus verò obſequii gloria adſignata, ne venerationis & obedientiæ obliti, earundem perfringant repagula.

Sed hoc inter eſt, *inter Juramentum ſubditorum & Regum, quod illi jurent fidelitatem & obſequium; fideles exinde dicti: Reges autem nec fidelitatem, nec obedientiam jurent populo; ſed ſe ſubditos ſuos eſſe defenſuros, Regni commoda quæſituros, & ſecun-*

Digitized by Google

dum leges imperaturos. In iſta ferè capita jurant, Reges Hiſpaniæ, Ungariæ, Bohem: Daniæ, Sueciæ, Angliæ, & qui non? Ipſe deniq; Imperator Romanus. Verum enim vero propterea, nequaquam Majeſtas Principis vel evacuatur vel abſorbetur, vel quicquam ei detrahitur vel populo quædam ſuperioritatis prærogativa adſeritur; Exiſtimandum potius eſt, placuiſſe ipſis imperantibus tale velut frænum conſcientiis ſuis injicere, ut per ſuperioris ſui, ſcilicet Dei, metum & timorem intra terminos cohiberentur, utq; conſcientiæ ſaltem ratione, ducti in Regno ſuo nihil agerent aut permitterent, niſi quod æquum juſtum & bono publico ſalutare videretur. Quippe Rex populo jurans, neutiquam ei jurat, ut ſuperiori; nec ab eo tanquam ſuperiore cogi poteſt, ut promiſſa ſervet & quod juravit ſanctè deinceps exſequatur, quanquam ſi promiſſis ſuis ſteterit, jure id fieri, ambabus largiamur manibus, eo quod promiſſio & juramentum obligent jam Regem in conſcientia. Unde recto Hugo Grotius, de Jur. B. & P. c. 12. §. b. aſſerit; ex actibus & contractibus Regis, tam Regiis, quam privatis, naſci actionem, nempe ut declaretur jus Creditoris; coactionem tamen ſequi non poſſe, ob ſtatum eorum, cum quibus negotium eſt. Nam ſubditis, inquit cogere eum, cui ſubditi ſunt, non licet, ſed æqualibus in æquales, id jus eſt, a natura ſuperioribus in ſubditos etiam ex lege.

Ex quibus apparet, concidere omnia quæ adverſus poteſtatem Regum ac Principum, & ſuperioribus & noſtris temporibus diſputarunt φρενοβλαβεῖς καὶ φλήναφοι quidam Politici: Populum eſſe, Rege potentiorem, qui propterea iſtud & Poteſtatem repoſcere poſſit; Populum poſſe Regem imperio ſuo male utentem non coërcere tantum; ſed imperio planè exuere. Populum Regi rectè imperanti pa-

ti parere debere, Regem autem male imperantem populo ſubjici. Et quæ ſunt ejus farinæ alia, quibus hoc tantum efficitur ut criſtas erigere incipiat vulgus, & reſiſtere diſcat imperio, *etiam non iniquo.* Quod quo Reipublicæ bono fiat, tot omnium ſeculorum docent exempla. Sed audio *obnitentem & obluctantem Nobilem ſcilicet Polonum* atque ad juramenti, quo Rex AUGUSTUS ſub auſpiciis Imperii ſuſcepti ſeſe paſſus eſt obligari formulam provocantem: in qua non tantum continetur ſeſe religioſe ſervare velle jura, libertates, privilegia a Regibus prædeceſſoribus - - confirmata, ſed etiam claris & apertis adjectam. Quod ſi vero (quod avertant ſuperi) contra Jura libertates articulos & conditiones omnes exceſſerimus aut aliquid non adimpleverimus, tunc Cives Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ ab obedientia & fide nobis debita liberos facim9, vigore conſtitutionũ, & conſtitutionis de anno 1609. Sed uti nequaquam refragari cupio, commiſſum eſſe, AUGUSTISS. AUGUSTO Regnum Poloniæ *ſub clauſula iſthac commiſſoria* inde tamen non ſequitur Regem judicio cujusvis de populo, aut in obſcuro latitantis Nobilis ſubjectum eſſe, adeo ut penes ipſos ſit judicare fefellerit nec ne, videatur.

Pufend. de J.N. & G. lib. 7. c. 7. §. 10.

Sunt ejusmodi clauſulæ, præmunimenta nexus publici inter Principem & ſubditos ſed ad effectum juſtum raro perduci poſſunt, tum ob abuſus periculum tum ob clades quæ plerumque talia annitentibus eveniunt qvas deinde vix multorum felicitas annorum ſarcire poteſt. Siquidem alii homines (inquit Thuan. libr. 70.) uti veſtes, ſic honores & dignitates impunæ induunt exunulqve, regna non niſi cum vita deponuntur. Imo longe, aliam ex Conſtitutionibus Polonicis addiſcere potuiſſet ſententiam

No-

Nobilis noſter, niſi pruritu & nebulâ dethroniſationis omne ipſius judicium obnubilatum & obfuscatum foret. Siquidem iſta in antiquis Conſtitutionibus Regis Stephani Bathorii (qui ceteroquin primus non ſine cenſurâ cordatiorum, tam exitioſis & malorum iliada progenerantibus anomaliis ſeſe conſtringi non dubitavit) talis deprehenditur declaratio. De ann. 1609.

Siqvis ex Eqveſtri Ordine & Senatorio deliteratam violentiam & propoſitum ad everſionem integritatis Reipublicæ & diminutionem libertatis conjecerit, poterit hoc ſemper ſive Domino Archi-Epiſcopo Gnesnenſi, uti Primati, ſive Senatoribus ad latus Regium Juxta conſtitutiones reſidentibus, ſive alteri cuipiam Senatori denunciare. Qui, aut omnes inſimul, aut aliqvis illorum, tenebitur Sereniſſimum Regem præcautum facere & admonere. Etſi præcautioni ac admonitioni Serenisſimus Rex non paruerit, liberum erit illud ad comitia generalia proxima deferre, & ut Nuncii terreſtres Regem moneant expoſtulare &c.

Qvod ſi Serenisſimus Rex ſecundam admonitionem neglexerit, nec id, in qvo diminutio Libertatis & Immunitatem verteretur, corrigere voluerit, Nuncii terreſtres omnibus ſtatibus ad Comitia illa congregatis debent id imponere. Qvod ſi Serenisſimus Rex etiam poſt talem tertiam ad monitionem in cauſâ propoſita juſtam excuſationem non dederit,

Et contumax in ſuo propoſito fuerit, & legitime & ſufficienter deductum eſſet, quod Serenisſimus Rex contra integritatem Reipublicæ, diminutionem Libertatis moliretur:

Tunc demum *Status & ordines* poterunt ſe gerere juxta articulum.

De

De non præſtanda Obedientiâ.

Qvibus præmiſsis, ad omnium, incolumitatem Patriæ, & veram non fucatam libertatem amantium, neque Contagii Radicjoviani contaminatorum labe Polonorum provoco conſcientiam & dexteritatem, quibus coërcendis ſit cenſuris & poenis tam inepturiens & totius Reipublicæ libertatem conſtuprans calami licentia, quâ, ſub *Nobilis Poloni* velamentô latitans veterator, uſus eſt in Epiſtolâ.

§. 15. *Expulſoque tyranno ſaluti noſtræ proſpiciatur:*

Equidem non opus foret in hunc athletham NOBILEM progredi ad ſcamna, cum ex primo ſtatim intuitu ejus epiſtolæ, conſtare posſit, deſipere eum in Politicis ληρωδῶς: Sed veritatis amore rem paulo penſiculatius ponderare aggrediamur: Quæſo ubi, durante Regimine AUGUSTI, Tyrannidis vel titulo, vel exercitio vel in Piſiſtratiſmo vel in Phalariſmo occupatæ oſtendi poſſunt τεκμήρια. Quando & quô tempore Auguſtus Rex fundamenta & vincula corporis Reipublicæ conſociati, obſtinatè perſeveranter inſanabiliter contra fidem datam & præſtititum juramentum tollere evertere & convellere annisus eſt? Quando vel eminentiores opprimere, vel eorum dignitatem imminuere, vel honeſtos conventus prohibere, vel nobilitatem avaritia aut ſuperbia aut erudelitate extinguerere, vel pietati & juſtitiæ contraria fovere aut ſtatuere conatus eſt? Nemo uti perſuaſisſimum habeo, id ipſum ſalvâ veritate aſſerere ſuſtinebit; niſi qui eo dementiæ prolapſus, ut invitis etiam beneficia obtrudere pro tyrannide venditet. Sed ſi è contrario Radicjovianæ

factiones homines reſpiciamus, quam enixè in fœdiſſimo ſeditionis opere ſatagentes, artes doloſque nectentes; & quæcunque vulgi turbamenta excogitantes; ſpe metuq; animos verſantes, accuſantes præſentia, oſtentantes futura & veluti Vibuleni imitatores impudentiſſima mendacia audacter multitudinis auribus inſinuantes, omnia denique pravæ facundiæ & ingenioſæ nequitiæ ſacra commoventes eaque fingentes & pingentes quæ invidiæ erga Regem ciendæ fuerunt idonea, à primo quaſi inaugurationis momento ad præſentem usque horam deprehendimus. Prætexunt hi ſcelerati conſilia propoſitaque peſſima, ſpecioſi Juris ingeminatione, flagitioſisque moribus favorabilem formam induunt; nec minns deteſtandis ſuis actibus magnificos imponunt titulos, *remedia* appellant quæ *ſcelera* ſunt, *pactionem & leges* venditant *in detractatione obſequii, denique utilitati publicæ ejusq; commodis ſe conſulere jactitant, dum ipſam per ſummum ſcelus oppugnant, ſua autem quisq; libidini privatim tendit ſervitque.* Expulſum vult Regem AUGUSTUM Nobilis larvatus. Pro meliore dilucidatione negotii ponamus, eſſe quædam in quibus lapſus fortean ſit, Rex optimus: Homo eſt, & triſte hoc mortalitati tribuitur privilegium ut aliquando errare liceat. Aut ut optimè illuſtris Polonus Hiſtoriæ Heinrici Regis auctor judicat: *Multa certe per errorem elabuntur; errores vero humanos tollere, præſertim in principe, quem plurima agere oportet, eſt humanitatem tollere.*

Deinde bene diſtinguenda ſunt *παρεργάματα καὶ παραπλώματα* quibus Rex aliquis ſuæ utilitati male couſulit ab iis quibus Reipublicæ aliqua ſupervenire poterit pernities: ſiquidem à civibus turbulentis aut querulis multa Principum facta

pro

pro injuriis traducuntur, quæ tamen non ſunt. Scilicet quod ab ipſorum diſcrepat judicio id tanquam male factum damnatur & atrô, notatur calculô.

Sed Jupiter neque Serenus neque pluvius omnibus placet. Et vera omnino vox eſt Bodini 2. 5. O quanta ſit tyrannorum futura multitudo ſi tyrannos ſubditis occidere aut regno expellere liceat, quam multi innocentes ac optimi Principes ſuorum conſpiratione perituri, nam qui tributis & vectigalibus plus æquo cives urget, tyrannum vulgus appellat. O quantum ſeditioſi & rebelles Radicjovii adoratores à circumſpecta Majorum ſuorum prudentia & virtute, quin à timore Numinis divini deſcivere, cujus juſſu etiam principi σκολιῷ & iniqua petenti, obedientiam præſtare tenentur ſubditi. Nullus dubito inter ſeditioſorum Anteſignanos (ſiquidem magna ſcelera magnos requirunt Æolus & adjutores) eſſe non nullos, quibus Caſtellani Leopolienſis, Viri æternâ memoriâ digni, *Andreæ Maximiliano Fredro*, non incognitus ſit liber Geſtorum Populi Poloni, ſub Heinrico Valeſio Polonorum, poſteà verò Galliæ Rege; legant aut audiant, obteſtor, monita illa graviſſima, quæ in medium prolata fuere à cordatoribus, cum de amovendo Rege Heinrico Valeſio qui Regnum Poloniæ deſeruerat & diadema Gallicum ſuſceperat, in Comitiis Regni, ageretur. Recenſentur pag. 146. ſeqq. eleganti quô excullit ſtylô, à Viro laudatisſimo hiſce verbis; *Diſceſſit è Regno Henricus, erratum eſt, verum non neglectio purpuræ: nobis non valedixiſſe, neceſſitas; non tamen noſtri contemptus. Atq; ideo, regnum illi eripere inhumanitas eſt, aut ſi eripiendum, ſaltem ad authoritatem hujus populi, & opinionem gentium hæc facienda; etiam extrema conſilia aut quaſi deſperata, pompâ ſuâ nituntur*

tuntur & prætextibus, quo magis imponatur autoritas, conſiliis, & cauſæ paretur prætextus. Si verò unquam in hoc negotio, præſertim cunctatione nobis opus eſt, ut totum orbem in teſtimonium trahamus, Henrici cauſa regimen in alium transferri: Verum ſi præcipitanter ad rem acceſſerimus, fruſtra juſtitiam pro noſtris conſiliis ſtare præſumemus; proclive enim eſt, ut illubenter populi ferant Imperantes, qui citò mutant, & injuſtè, qui præcipitanter. Etiam qui flagitiis amant pollui cum proœmio rem aggrediuntur. Quid nos facere oportet? qui tam piam & juſtam mutandi Regis (ut aitis) habemus cauſam. Mittendi utique ſunt in Galliam legati, qui mentem Henrici aperiant, fidelitatem noſtram coram confirment, modo ille regimen. Vel ſi gravius in hoc periculo agere oportet, requiratur tempus ſui regreſſus; niſi hoc obtinetur, definiatur illud à Republica. Ni intra duos tresve menſes adfuerit, cogi populum Polonum ad novæ electionis concilia progredi, non poſſe regimen ſubſiſtere ſine rectore, nec præſentia periculorum remedia haberi, abſente medico. Ea via dignitas Reipublicæ parabitur, nec demetur, conſilio noſtro gravitas, aliter ſuadere hoſtile eſto.

Fateamur neceſſe eſt, Henricum non ſat probe, inconſultis nobis, profectionis conſilia arripuiſſe, ideoque nos pejora facere debemus, & neſcio populi rectore, regimen alteri tradere? Abſit ea mens quæſo à vobis: Doceamus nos causâ Henrici potius pelli, quam ſponte abire in novâ interregna. Docebimus verò, ſi in Henricum cauſam mutandi Regis transferemus, in nos neceſſitatem alterius quærendi, tantumq; cauſæ noſtræ accedet juſtitiæ quantum illius culpæ. Demantur oportet ſpecioſi prætextus: nos velut rebellem populum in facie orbis traducendi aut forſan aggrediendi, totius Occidentis principipus in nos auxilia mutua conferentibus. Omnium Principum, etiam Barbarorum, hoc in negotio verſatur authoritas,

qui

Digitized by Google

qui æquè ſuorum populorum deteſtantur ac puniunt motus importunos, pro ut exemplum eorum illubenter notant in cæteris: quia verò bona malave exempla in hominibus pro allegatis cauſarum ſerviunt, à ſuis expectant, quod alteri factum. Cavent ideo diligentius, ut cuiq; Principi conſtet ſua fides, authoritas, & obedientia apud Subjectum populum; Jam verò quod maximum, in ſummo ponen-" da eſt ira Numinis à quo omnis pullulat poteſtas; neve dubite-" tur; Unctos Deus habere voluit imperantes, qui velut terreni Dii terræ imperarent, item ſubjecta terra veluti ſuos Deos [ſeu Dei vicarios] eos veneraretur & revereretur. Quæ vero ea reverentia foret, Principum, pro libitu auferre ſce-" ptra, ni dixerimus inſolenter? ut quem non opportunè jam amo-" veremus regno, reſtaret recipiendi neceſſitas, pro quo Princeps Principum, tum hi certaturi, ni gravius quid conſilia noſtra proferant. Sufficiunt hæc de cauſa & conſilii authoritate; quæ ſalutem Reipublicæ ſpectant, videte: Majori ſumptu ac periculo novus quæretur Rex, quam hic retinetur. Novum quærimus? Henricus inimicus; retinemus? nemo hoſtis, quum quæſivimus nullum: Immo difficulter inventuri ſumus Principem, cum tam facilè demimus imperium. -- Hactenus Fredro. Elucescit ex his luce meridianâ clarius, quam ſobriè & ſanè ſuperioribus ſeculis circa Regum auctoritatem & Reipublicæ temperatam libertatem & θεῶ ἔκδικον ὄμμα ſenſerint *venerabiles Poloniæ* proceres; Quorum ſancta veſtigia ſi hodiè qvque legerent Radicjovianarum partim partium ſtudioſi, ô quam ſubito compoſiti viderentur fluctus, Poloniam miſerè agitantes & emaciantes: Sed prorſus alia, quin talia coaxant, ranuncularum inſtar, rancidi iſti homunciones, ex tenebricoſis ignorantiæ ſuæ cavernis,

Qualia credibile eſt rictu ructaſſe trifauci
Cerberon & *Stygii* monſtra tremenda lacus.

C 3 §. 16. *Sue-*

§. 16. *Suecos nos non adduximus, non adjuvimus.*

16.) Quid verbis opus, ubi rerum adſunt teſtimonia, & hæc tam effronti ore effutire vertiginoſi eſt cerebelli & ad Anticyras relegandi. Reſtant plura ſi linearum reſpicias molem Illuſtriſſime Dvmine, ſed nihil aliud quam crambem toties recoctam & tautologiarum intemperiem continent: quarum aranearum ſtamina vel tenuiſſimus ſanæ rationis habitus difflabit facilè. Superpondii loco addo; ſuggerit Epiſtolographus conſilium quomodo, tam Auguſti Regis, tum Moſci ditiones belli diluvio inundandæ atq; ex iſtis opima ſpolia reportanda. Sed fortean temerariis iſtis cogitationibus apponi poterit illud politiſſimi Barclaji; „Divinitatis opera hæc ſunt, ut furias in ipſo jam ſucceſſu ſecuras, „ſubitò ultio excipiat, ne vel unquam improbis timor, vel „ſpes abſit preſſæ virtuti. Et iſta quidem ſunt quæ per functorio ſtudio ad Epiſtolam Nobilis Poloni, annotare juſſu Tuo gratioſo, ſuſtinui. Limatiora, temporis quâ premor anguſtia non permiſit. Vale Illuſtriſſime Domine & Tuæ favonio, quod hactenus abundantiſſime feciſti, exhilarari & beare pergas

Fuiſſimum cujus manum mentemq; veſti

Baſ. Sinc.